

profere verba contumeliosa, qualia profulit contra Stephanum Papam in epist. ad Pomp. ubi vocat eum superbum, imperitum, caeca ac prava mentis etc. Itaque B. Augustinus in epist. 48. ad Vincentium, aliter conatur Cyprianum defendere, asserens, vel non esse ipsius ista scripta, ubi hæc inveniuntur, vel eum postea penituisse erroris, et mutasse sententiam ante mortem, licet retractatio non inveniatur (1).

Quarta ratio. Concilium Africanum in ep. ad Celestin. Papam asseruit, minus posse errare Concilium provinciale in iudicio, quam Romanum Pontificem: « Nisi forte, inquit, quisquam est, qui credat, unicuique posse Deum nostrum examinis inspirare iustitiam, et innumerabilibus congregatis in Concilium sacerdotibus denegare »: at certum est Concilia provincialia posse errare; igitur multo magis Papa errare potest.

Respondeo: Concilium loqui, non de iudicio Fidei, sed iudicio facti, id est, de causis Episcoporum et Presbyterorum, qui de aliquo crimine accusantur. In huiusmodi autem causis fatemur, non habere Pontificem assistentiam Spiritus sancti, per quam non possit errare. Adde, quod non necessario tenemur credere quidquid in ea epistola Episcopi illi dicant: præsertim, cum satis appareat, eos commotos sceleribus Apiarii, qui ad Romanum Pontificem confugerat, modum in verbis non nihil excessisse. Neque obstat quod Concilium Africanum sit confirmatum a Leone IV, dist. 20. can. de libellis: nam confirmata sunt decreta Concilii, non autem epistola.

Ultima ratio est Nili in suo libello de Primatu, qui hoc modo ratiocinatur. Potest Romanus Pontifex incidere in alia vitia, utavaritia, superbia etc. igitur et in vitium hæresis. Nam I. Tim. I. Paulus dicit, quosdam circa Fidem naufragium fecisse, quia antea bonam conscientiam amiserant. Item potest Papa male vivendo, factis negare Deum, juxta illud Tit. I: *Constitentur se nosse Deum, factis autem negant* (2); igitur potest etiam verbo negare, nam facilius esse videtur verbo negare, quam facto.

Respondeo ad primum argumentum: in-

(1) Hoc factum, scilicet rebellionis sancti Cypriani adversus sanctum Stephanum, ultimo seculo a Missorio et a Molekembur negatum fuerat. Nostro tempore iterum in errorem revocatur a Vincentio Tizzani, Archiepiscopo Nisibisensi, in opusculo cui titulus: *La celebre contesa fra S. Stephano et S. Cypriano*. Monumenta quibus edificabatur hæc commentitia historia, a Donatistis, ut a supradictis auctoribus probatur, conficta fuerant. — (2) Tit. I, 16.

de recte colligi, posse Papam ex natura sua incidere in hæresim, non tamen posita singulari Dei assistentia, quam Christus oratione sua illi impetravit: oravit autem Christus, ne deficeret Fides ejus, non autem ne incideret in alia vitia.

Ad secundum dico: Apostolum eo loco non intelligere quælibet mala opera, sed opera, quæ procedunt ab infidelitate cordis; loquitur enim de Judæis non sincere conversis ad Fidem, qui, etsi profiterentur se nosse Deum, tamen factis negabant, quia prohibendo certos cibos, ut natura sua immundos, testabantur se non vere nosse Creatorem omnium rerum: porro talia opera Papa nec facit, nec facere potest. Si vero per facta intelligantur quælibet peccata; falsum est, facilius esse Deum negare verbo, quam facto: nam qui negat verbo, negat simpliciter et expresse; qui negat facto, negat implicite et quodam modo non simpliciter.

CAPUT VIII.

De erroribus qui falso adscribuntur Romanis Pontificibus, Petro, Lino, Anacleto, Telesphoro, Victori, Zephyrino, Urbano, Pontiano, Cornelio, et Marcellino, qui non solum Pontifices, sed etiam Martyres fuerunt.

Veniamus nunc ad singulos Pontifices, quos adversarii nostri errasse contendunt. Primus, Petrus est Romanorum Pontificum, quem non semel, sed bis circa Fidem errasse scribit Nilus in suo libro de Prim. Rom. Pontif. atque hoc argumento potissimum se demonstrasse putat, Romanos Pontifices in Fide errare posse. Nullus enim Pontificum Romanorum majora privilegia a Deo accepit, quam Petrus: porro Petrum his errasse, ex divinis litteris manifestum est; nam et Christum negavit Matth. XXVI, et Gentiles coegit judaizare Galat. II. Magdeburgenses Centur. II, lib. II, cap. 10, col. 538, 539 et

560. præter hos duos errores, addunt etiam alios tredecim lapsus B. Petri, de quibus nos supra scripsimus lib. I, cap. 28.

Respondemus; S. Petrum, cum Christum negavit, nondum Pontificem summum esse coepisse: constat enim traditum ei fuisse a Christo Ecclesiasticum principatum Joan. ult. cum ei Dominus post resurrectionem suam dixit: *Simon Joannis pasce oves meas* (1); itaque negatio illa Petri numeranda non est inter errata Pontificum Romanorum. Adde præterea, Christum a Petro negatum fuisse ore, non corde; proinde perdidisse Petrum confessionem Fidei, non ipsam Fidem, ut supra ostendimus cap. 3.

Quod autem aliquando S. Petrus coegerit gentes judaizare, non fuit error prædicationis, sed conversationis, ut Tertullianus monet in lib. de præscript. adv. hæret. Non enim S. Petrus decreto aliquo sancivit esse judaizandum, sed contrarium potius docuit Aetor. XV, quia tamen aliquando Antiochiæ, ne offenderet Judæos nuper conversos ad Fidem, segregavit se a convivio Gentilium; exemplo suo coegit quodammodo etiam Barnabam judaizare. Nos vero non negamus, posse Pontifices exemplo suo præbere occasionem errandi, sed illud negamus, posse eos ex cathedra errorem aliquem sequendum toti Ecclesiæ præscribere. Neque vero exempla Pontificum æque perniciosa Ecclesiæ sunt, ac doctrina; cum Dominus nos instruxerit, dicens: *Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite* (2). Vide quæ supra diximus c. 28, lib. I.

Secundus Linus, qui S. Petrum proxime secutus est in Sede pontificia, ridetur a Magdeburgensibus Centur. I, lib. II, c. 10, colum. 627, quod jussit, ne feminae in Ecclesiam ingrederentur capite linteis non cooperto; sic enim loquitur: « Instituit, ne qua mulier (dignum equidem Episcopali cura) nisi capite linteis operto templum ingrederetur. » Sed quid si Linus addidisset, ut id fieret propter Angelos? sine dubio superstitionem esse clamassent. At non mominerant, credo, Centuriatores, Apostolum Paulum non judicasse indignum sua cura, præcipere I. Cor. II, ut femina velato capite essent propter Angelos, quod exponit Ambrosius in Ecclesiæ præcipue esse servandum ob reverentiam sacerdotum, qui Angeli in Scripturis appellantur.

Tertio Anacletum reprehendunt Magdeburgenses in eadem Cent. lib. II, cap. 20, colum. 628. quod memoriam S. Petri construxerit, et ornaverit, scilicet, B. Petrus tam male meritis de Ecclesiæ fuerat, ut dignus esset, cuius memoria penitus interiret. Sed si B. Anacletus reprehendus est, quod qualecumque monumentum S. Petri ossibus constituerit: quantum, queso, peccatum fuit magni Constantini, qui tam sumptuosa Basilica, totque donariis aureis et argenteis memoriam S. Petri exornavit? Sed aliter de his rebus judicaverunt semper omnes homines pii, quam nunc judicent adversarii. Certe Caius scriptor nobilissimus, et Apostolicis temporibus vicinus, ut Eusebius refert lib. II hist. cap. 25. ex versione Ruffini, sepulchra Petri et Pauli trophea Apostolorum appellat, quibus Romana Ecclesia quasi columnas firmisissimas communitur.

Joannes Chrysostomus hom. ult. in epist. ad Rom. summo se teneri desiderio affirmat Romam veniendi, ut sepulchris Petri et Pauli advolvi posset. Et audi, quæso, quanto cum honore de urbe Roma, et Apostolorum corporibus, ac sepulchris loquitur: « Quemadmodum, inquit, corpus magnum et validum, duos habet oculos illustres (Roma) Sanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cœlum splendescit, quando radios suos sol ex sese demittit, quemadmodum Romanorum civitas duas illas lampades ubique terrarum effundens. » Et infra: « Qualibus coronis duabus ornatur urbs ista? quilibet census aureis cineta est? quales habet fontes? propterea celeberrima hanc urbem, non propter copiam auri, non propter columnas, non propter aliam phantasmiam, sed propter columnas illas Ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli? affigi sepulchro? videre pulverem corporis illius? » Et infra: « Hoc corpus urbem hanc munus, quod quavis turri, innumerisque mœnibus, ac vallibus tutius est, et cum isto corpus etiam Petri. Nam et viventem honoravit: Ascendi, inquit, videre Petrum. » Theodoretus quoque in epist. ad Leonem, cum ab aliis rebus multis Romam laudat, tum præcipue ab Apostolorum sepulchris, quæ (ut ipse loquitur) Fidelium animas illuminant. Omitto multa, quæ addi possent testimonia: nam de reliquis Sanctorum propria disputatio suo loco instituenda est.

(1) Joan. XXI, 17. — (2) Matth. XXIII, 3.

Quarto Telesphorum, qui nonus fuit a B. Petro, et glorioso martyrio consummatas est, teste Irenæo lib. III, cap. 3. accusant Magdeburgenses Centur. II, cap. 10, col. 212. his verbis: « Clericis, inquit, primum mandat, ut septem ante Pascha hebdomadibus a carne jejument, cum contra scriptum sit: Nemo vos iudicet in cibo et potu. Deinde Missas cumulat, et ritum earum auget, atque ad tempus alligat, cum neque propter numerum, neque caeremonias, neque tempus, Coena Domini sit instituta. Clericorum item dignitatem, et sanctitatem nimium effert supra plebeiam, quasi non sit scriptum: Omnes vos unum estis in Christo Jesu. Ita nec argui vult a populo sacerdotes, nec accusari: eamque legem firmissimum vocat sui ordinis murum, constitutum a se et Patribus contra persecutores. »

Hæc videlicet sunt errata Telesphori; quæ quidem iudicantur errata a Centuriatoribus, quia discrepant a regula Lutheri, sed si iuste iudicamus, nonne potius dicendum est, dogmata Lutheri, qui non palitur delectum ciborum, nec Missas, nec ordinem sacerdotum supra plebem, esse erronea et falsa, quia discrepant a regula Telesphori? nam cum Telesphorus sanctus Martyr fuerit, et Apostolorum temporibus adeo propinquus, ut cum Petro, Paulo, et Joanne loqui potuerit; nonne credibilis est, melius ab ipso cognosci potuisse Christi doctrinam, quam a Lutero, qui nec martyr fuit; et annis plusquam mille quadringentis ab Apostolicis temporibus abfuit? præsertim cum ratiunculæ ille Magdeburgensium sint pueriles, et millies solute.

Nam quod adferunt ex Paulo: *Nemo vos iudicet in cibo et potu*, non pugnat contra abstinentiam a carne quæ assumitur, vel indicat ad tempus ad edendam corporis petulantiam: sed contra Judaicam abstinentiam, qui certis cibis nunquam utebantur, eo quod secundum legem veterem immundi erant. Sic enim ibidem, ad Coloss. II Paulus ait: *Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum* (1).

Quod addunt, Coenam Domini non esse institutam propter numerum, nec propter ritus, nec propter tempus, non negamus. Sed quid inde efficitur? Num propterea erravit Telesphorus, qui in Natali Domini voluit ter

Missas celebrari; et addidit aliquos ritus, et tempus statuit, quo Missæ celebrandæ sunt? Nam etsi non est Coena Domini propter numerum, ritus, et tempus instituta: debuit tamen propter ipsam Coenam Domini recte celebrandam numerus, ritus, et tempus determinari, nisi forte tantum Sacramentum minus deceat ordo, quam confusio.

Quod denique adducunt ex Apostolo: *Omnes vos unum estis in Christo Jesu* (2), ad Gal. III, nihil minus probat, quam non esse sacerdotes laicis digniores: nam quomodo simus omnes unum in Christo, explicat Paulus Rom. XII et I. Corinth. XII, ubi dicit, nos esse unum corpus, ubi sunt varia membra, oculi, manus, pedes, alia aliis nobiliora et digniora.

Quinto Victor Papa XV a Petro, aspersus olim fuit ab hæreticis quibusdam infamia, quasi Christum purum hominem esse docuisset, ut refert Euseb. lib. V hist. cap. 28. Sed falsam fuisse illam calumniam, Eusebius ibidem demonstrat ex eo, quod constat, principem illius hæreseos nomine Theodotum a Victore excommunicatum fuisse.

Sexto Zephrinus Victoris successor, videtur hæresim Montani approbasse. Scribit enim Tertullianus in lib. cont. Prax. Romanum Pontificem agnoscentem prophetias Montani, et ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiae et Phrygiæ inferentem, a Praxeæ fuisse persuasum, litteras pacis revocare, quas jam emiserat: constat autem ex historiis, eo tempore Zephrinum fuisse Romæ Pontificem. Quare Rhenanus in Annot. ad Tertullian. ponit hoc loco in margine, Episcopus Romanus Montanizat. Neque dici potest, eo tempore nondum fuisse damnatam ab Ecclesia hæresim Montani: nam, ut ibidem Tertullianus dicit, Praxeas persuasit Pontifici revocare litteras pacis, ea præcipua ratione, quia prædecessores ejus hæresim illam antea damnavissent.

Respondeo: non esse omnino Fidem habendam Tertulliano in hac parte, quandoquidem ipse Montanista erat. Sicut enim paulo ante Artemon falso jaetaverat, Victorem Romanum Pontificem secum sentire, ut ex Eusebio ostendimus: ita nunc Tertullianus Montanista Romanum Pontificem in Montani sententiam trahere conatur. Alioqui cur nec Eusebium, nec ullus alius notavit hunc errorem in Pontifice Romano?

Quia tamen mendacia super aliquid verum ut plurimum fundari solent, credibile est, Zephrinum Pontificem a Montanistis persuasum fuisse, doctrinam Montani non esse diversam a doctrina Romanæ Ecclesiæ; et ideo eundem Pontificem voluisse eis pacem reddere, quam abstulerant ipsis prædecessores; non quidem quod approbaret errorem, quem sui majores improbaverant, sed quod arbitraretur, falso de illis erroribus fuisse accusatos Montanistas. Hoc autem non est errare circa Fidem, nec Montanizare, ut mentitur Rhenanus, sed errare circa personam, id quod multis aliis sanctis viris accidit. Scribit enim Rufinus lib. X hist. cap. 11. Arium, ut Constantino Imperatori persuaderet se esse Catholicum, tanto artificio scripsisse Fidem suam, ut a Catholicis putaretur Catholica, et a suis tamen agnosceretur qualis erat. Et Leo ep. 86. ad Nicetam Aquileiensem, monet Episcopum illum, ut Pelagianos ad Ecclesiam redeuntes apertissimis verbis jubeat hæresim abjurare, propterea quod soleant plerumque Ecclesiam decipere ita composita confessione Fidei suæ, ut Catholicis videantur, cum non sint. Tale aliquid videtur Zephrino etiam Pontifici accidisse.

Septimo, Urbanum a Petro XVIII, Centuriatores his verbis reprehendunt: « Instituit Confirmationem post Baptismum; sed blasphemem dicit, per manus impositionem Episcoporum accipi Spiritum Sanctum et plene Christianos fieri. » Cent. III, cap. 10, col. 277. ejus ejusdem erroris reprehendunt etiam Cornelium col. 282.

At in primis mentiuntur, ab Urbano institutam esse Confirmationem. Nam exstat usus ipsius Act. VIII et XIX, ubi super baptizatos Apostoli manus imponunt, ut accipiant Spiritum sanctum. Et præterea Tertullianus, qui antiquior Urbano et Cornelio fuit, meminuit Confirmationis pluribus in locis; in lib. de resurr. car.: « Caro, inquit, abluatur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima conseretur. » Et in lib. de præscript. loquens de Diabolo, qui imitatur Baptismum et Confirmationem nostram: « Tingit, inquit, et ipse quosdam utique credentes, et fideles suos, signat illie in frontibus milites suos. » Et in lib. de Bapt.: « Exinde, inquit, egressi de lavacro perungimur benedicta unctione. » Et paulo infra: « Deinde manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum. » Videtur apud Tertullianum, unctionem, signum in

fronte, manus impositionem, adventum Spiritus sancti? Quid igitur Urbanus instituit? Constat autem, Tertullianum antiquiore Urbano fuisse: nam Tertullianus vixit tempore Severi, et filii ejus Antonini, ut ex Hieronymo docent Magdeburgenses in eadem Cent. III, cap. 10, col. 277. Quid, quod iidem Centuriatores loc. cit. numerant inter nævos Tertulliani, quod post Baptismum agnovit unctionem, et signum Crucis necessaria? Quomodo igitur ista cohererent, ut ab Urbano dicant esse institutum, quod ipsi ante posuerant inter nævos Tertulliani Urbani antiquioris?

Deinde, quod addunt Centuriatores, blasphemum esse quod ait Urbanus, accipi Spiritum sanctum, et plene Christianos homines fieri per impositionem manus Episcoporum; non eget refutatione, cum ipsi nullam adduxerint probationem: præsertim cum illud idem dicat etiam Cornelius, ut ipsi fatentur, et etiam Cyprianus lib. I, epist. 42. Cyrillus Catech. 3. mystagog. Augustinus in epist. Joan. tract. 6. et alii Patres non raro.

Octavus est Pontianus Urbani successor, quem arguunt Magdeburgenses Cent. III, cap. 10, col. 278. quod scripsit, sacerdos proprio ore corpus Domini conficere, et populis tradere, ac per Sacerdotes Deum aliorum hostias acceptare, atque eorum peccata donare, et sibi eos reconciliare. Quam sententiam blasphemam vocant Centuriatores, sed nihil adferunt, unde probent esse blasphemam. Quare moleste ferre non debent, si nos Martyri sanctissimo, et de Apostolorum successoribus instituto magis credamus, quam Lutero; præsertim cum illud idem in omnium veterum Patrum scriptis passim legamus.

Audi enim Hieronymum in epist. ad Heliod.: « Absit, inquit, ut de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus, qui claves regni cælorum habentes quodammodo ante iudicii diem judicant. »

Audi Augustinum in epist. 122. ad Victor. ubi de feminis captivis inter Barbaros: « Ora, inquit, Deum pro eis, et roga, ut etiam ipsas doceat talia dicere, qualia S. Azarias inter cætera in oratione, et confessione sua fudit ad Deum. Sic enim sunt illæ in terra captivitatis suæ, quomodo erant illi in ea terra, ubi nec sacrificare more suo poterant domino. Sicut nec istæ possunt vel

(1) Coloss. II, 16 et 17. — (2) Galat. III, 28.

ferre oblationem ad altare Dei, vel invenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo.»

Audi Chrysostomum in III lib. de Sacerd. : « Corporis, inquit, lepram purgare, seu verius dicam, non quidem purgare, sed purgatam ostendere, Judæorum Sacerdotibus solis licebat, at vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, sed animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. » Hæc ille. Quod igitur Pontianus ait, per Sacerdotes corpus Domini confici, aliorum hostias a Deo recipi, peccata hominum dimitti, dixerunt etiam probatissimi auctores, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, necnon ceteri omnes, quos de industria prætermisi.

Nonus est Cornelius, quem Magdeburgenses Centur. III, cap. 6, col. 143, et cap. 7, col. 165, affirmant, docuisse, in calice Domini solum aquam esse offerendam : qui est exploratus error contra Evangelium. Sed hæc impudentissima calumnia est : Solum enim hoc probant ex eo, quod Cyprianus lib. II, epist. 3. ad Cornel. multa disputat contra hunc errorem : at Cyprianus non dicit, hunc errorem esse illius, ad quem scribit, sed quorundam aliorum. Deinde, epistola illa non ad Cornelium, sed ad Cæciliam quemdam Africanum Episcopum scribitur, ut omnia exemplaria testantur. Sed Magdeburgenses tunc forte largius liberant, et scintillantibus ac trementibus oculis, unum legerunt pro alio. Adde, quod Alexander Papa Cornelii prædecessor decretum jam ante ediderat, ne in calice Domini quidquam aliud, quam vinum aqua mixtum offerretur.

Denique, si ex hac epistola alios reprehendunt : cur non seipsos etiam reprehendant Centuriatores ? Siquidem Cyprianus in hac epistola sæpius Eucharistiam vocat sacrificium, et hæc solum aquam, nec solum vinum, sed vinum aqua temperatum offerendam esse docet : Lutherani autem, et

Eucharistiam sacrificium esse obstinatissime negant, et in calice solum vinum sine aqua consecrandum putant.

Decimus est Marcellinus, qui idolis sacrificavit, ut constat ex Pontif. Damas. ex Conc. Sinuess. et ex epist. Nicolai ad Michael. At Marcellinus nec docuit aliquid contra Fidem, nec fuit hæreticus, vel Infidelis, nisi actu externo ob metum mortis. Utrum autem propter actum illum externum exciderit a Pontificatu, an non, parum refert ; quandoquidem se ipse Pontificatu mox abdicavit, et paulo post martyrio coronatus est. Crediderim tamen, non excidisse eum ipso facto a Pontificatu, quia satis constabat omnibus, eum solo metu idolis sacrificasse. Adde quod S. Augustinus lib. de unico baptismo contra Petilianum c. 16. Marcellinum innocentem esse dicit, et nullus Veterum Historicorum meminit hujus lapsus (1).

CAPUT IX.

De iis, quæ Liberio et Felici II obijciuntur (2).

Undecimus Pontifex, qui erroris arguitur, est Liberius : quamvis enim Magdeburgenses Centur. IV, cap. 40, col. 1284, non audeant quidquam de Liberio definire : tamen Tilmannus Heshusius lib. I de Eccles. cap. 9, auctacter affirmat, eum Ariana hæresi infectum fuisse. Et sane testes habet suæ sententiæ gravissimos auctores : Athanasium in epist. ad solit. vii, agent. Hieronymum in Chron. et in Catal. script. in Fortunatiano, et Damasum in vita Liberii.

Respondeo : de Liberio duo esse certa ; unum vero dubium. Primo, certum est, eum ab initio Pontificatus usque ad exilium, quod pro Fide Catholica pertulit, acerrimum defen-

sorem fuisse Catholice religionis. Id ita esse testantur omnes Scriptores, qui de illis temporibus loquuntur, ut Ammianus Marcellinus lib. XV hist. suæ, Athanasius in utraque Apol. Rufinus lib. X hist. cap. 22. Sulpitius lib. II sac. hist. Socrates lib. II hist. Eccles. cap. 29. Sozomenus lib. IV, cap. 10. Theodoros lib. II, cap. 16 et 17. Nicephorus lib. IX, cap. 33, 36 et 37.

Secundo certum est, Liberium post reditum ab exilio fuisse etiam vere Orthodoxum et piæ. Nam, ut scribit Socrates lib. IV, cap. 11. postquam redierat ab exilio, Liberius noluit recipere ad Ecclesiam Macedonianam, nisi aperte hæresim detestarentur. Præterea etiam post mortem semper sanctus est habitus, ut planum est ex verbis Ambrosii lib. III. de virg. in princ. ubi sic ait : « Tempus est, inquit, soror, sancta beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvare, ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior. » Item ex verbis Epiphanius hæres. 75. : « Eustathius, inquit, ad Liberium beatum Romæ Episcopum una cum multis Episcopis legatum agebat. » Basilus quoque epist. 74. ad Episc. Occiden. : « Quædam, inquit, ei proposita sunt a beatissimo Liberio. »

Denique Siricius, qui tertius fuit a Liberio, in epist. ad Himeric. Liberium appellat venerandæ memoriæ prædecessorem suum. Quomodo, quæso, Patres isti Liberium jam defunctum beatissimum vocarent, si in hæresi mortuus esset ? Unum ergo remanet dubium, an videlicet medio tempore, id est, in ipso reditu ab exilio aliquid egerit contra Fidem. Et quidem Sulpitius, Socrates, Sozomenus, et Nicephorus, locis notatis indicant, Liberium semper eundem fuisse, nec unquam de Fidei constantia aliquid remisisse. Athanasius vero et Hieronymus loc. cit. aperte dicunt, eum tædio exilii inflexum tandem fuisse ad subscriptionem hereseos. Quibus addi potest Hilarius, qui in lib. advers. Constant. ita loquitur : « Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum, et o te miserum qui nescio an virum majore impietate relegaveris, quam remiseris. » Rufinus autem lib. X, cap. 27. hist. affirmat, se non potuisse certo cognoscere, an Liberius subscripsisset.

Ex quibus sententiis secunda verior nobis esse videtur. Nam Athanasius, Hilarius, et Hieronymus auctores sunt, tum antiquiores, tum etiam graviore cæteris, et rem non ut dubiam, sed ut certam et exploratam nar-

rant. Præterea legi ipse epistolas Liberii manu scriptas ex Vaticana Bibliotheca, quæ partim ad Imperatorem, partim ad Episcopos Orientales scriptæ erant, in quibus satis aperte significabat, se tandem Imperatoris voluntati acquiescere voluisse. Ad hæc, nisi fateamur, Liberium aliquo tempore defecisse a constantia in Fide tædæ ; cogitur, Felicem II, qui Liberio vivente Pontificatum gessit, a numero Pontificum excludere ; cum tamen hunc ipsum Felicem ut Papam et Martyrem Ecclesia Catholica veneretur. Denique Sozomenus lib. IV hist. cap. 14. et Nicephorus lib. IX, cap. 37. obscurius quidem, tamen subdiciant, Liberium in Concilio Sirmientiensi convenisse cum Valente et Ursacio Ariani, et ea pace facta, Sedem suam recepisse, adjutum etiam litteris ejusdem Concilii. Sed quamvis hæc ita se habeant ; non tamen Liberius aut hæresim docuit, aut hæreticus fuit, sed solum peccavit actu externo, quemadmodum S. Marcellinus, et, ni fallor, minus peccavit, quam S. Marcellinus.

Quod hæreticus vere non fuerit, docet S. Athanasius loc. cit. ubi dicit, Liberium invitum et coactum vi tormentorum fecisse quod fecit, nec esse censendam ejus sententiam, quam minus et terrores extorserant, sed eam quam protulit, cum liberis haberet affectus : quod autem non docerit hæresim, facile probari potest. Nam ut colligitur ex Athanasii verbis, et ex epistolis ipsius Liberii, duo mala Liberius commisit : unum, quod subscripsit in damnationem Athanasii ; alterum, quod cum hæreticis communicavit ; in neutro autem Fidem expresse violavit. Nam etsi hæretici persequebantur Athanasium causa Fidei ; tamen non causam Fidei, sed crimina circa mores prætexebant, et Liberius consensus in damnationem Athanasii, propter crimina illi objecta, non propter Fidem. Pari ratione cum hæreticis communicavit, quia Catholicos se fingeant : nam in epistolis suis Liberius ait, se communicasse cum Episcopis Orientalibus, quia invenit eorum Fidem congruere cum Catholica, et aliam esse ab Ariana perfida.

Præterea Sozomenus lib. IV, cap. 14. et Nicephorus lib. IX, cap. 37. dicunt, in ea pace, quam fecit Liberius cum Episcopis Ariani, nihil aliud postulatum fuisse a Liberio, quam ut subscriberet Sirmientiensi Confessioni editæ contra Photium, et Confessioni Antiochenæ editæ in Eneensis : quæ

(1) Hoc præterea Marcellini factum ita falsum est, ut etiam a Dollinger confutatur in opere quod gallico idiomate vertit Ph. Reinhard, et cui titulus : *Études sur quelques Papes du moyen-âge.*

(2) Quæ Liberio obijciuntur a modernis historicis optime refutantur, notanter XVI^o sæculo a Deglen, XVII^o ab Andrea Duchesno, XVIII^o a Card. Orsi, XIX^o a Rohrbacher, Daras et Blanc. Insuper vindicatur Liberius in dissertationibus specialibus abbatis Corgne, doctoris Navariensis, in Gallandi Bibliotheca Patrum ; apud J. de Maistro : *Le Pape et l'Église gallicane*, apud Béchillon, sacerdotem Pictaviensem, qui optime respondit objectis ex Vindiciis summorum Pontificum a Calvacanti ; apud Constant in opere cui titulus : *Histoire de l'infaillibilité du Pape*, apud Reinherding qui confutat Dollinger, Schneemann et Hefele ; et apud Ed. Dumont, tom. I, *Revue des questions historiques.*

Confessiones etsi non habent vocabulum *quod dicitur*; tamen Catholice sunt, et eas exponit Hilarius in lib. de Synod. tanquam Catholicas.

Accedit, quod, ut referunt Sozomenus et Nicephorus loc. not. Liberius non modo non subscript Confessionem Arianae, sed etiam Confessionem edidit antequam Sirmio discederet, in qua aperte excommunicabat eos, qui Filium Patri similem in substantia, et in aliis rebus omnibus esse negabant: id quod ea de causa fecit, quia Ariani falsum rumorem sparserant Liberium docere coepisse, Filium non esse Patri consubstantiali.

Dicit aliquis: si ita est; quomodo ergo Hieronymus in Chron. et in Catal. script. in Fortunatiano dicit: Liberium ad subscriptionem haereseos inflexum tandem fuisse? Respondeo: Liberium etsi non expresse, tamen interpretative in haerem consensisse: nam Athanasium damnari permisit, quem sciebat causa Fidei persecutionem pati, et cum Valente et Ursacio communicavit, quos non ignorabat haereticos esse, etiamsi illi aliud se esse simulant. Hoc igitur est, quod Hieronymus significare voluit.

Duodecimus, qui erroris in Fide ab haereticis accusatur, est Felix II, quem Arianum fuisse contendit Tilmannus Heshusius lib. I de Eccles. cap. 9. idque probat ex testimonio S. Hieronymi, qui in Catal. Script. in Acacio sic ait: «Acacius, inquit, quem quia luscus erat, *perisophalium* nuncupabant, Caesariensis Ecclesiae in Palestina Episcopus.» Et infra: «In tantum autem sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romae Felicem Arianum Episcopum constitueret.» Sed respondemus: Felicem nunquam Arianum fuisse, tametsi cum Ariano aliquando communicaverit, eo videlicet tempore, quo verus Papa non erat, postea vero quam verus Papa esse coepit, non modo Arianum non fuisse, sed etiam Ariano publice detestatum, et ob Arianorum persecutionem coronam martyrii a Domino percipisse.

Explicanda igitur est, quam brevissime fieri poterit, historia Pontificatus Liberii et Felicis, ex qua mirabilis Dei providentia in Apostolica Sede conservanda apparebit. Liberio in exilium ob Fidem Catholicam deportato, Romanus Clerus juravit, nullum se alium, vivo Liberio, in Pontificem admissurum. Id testatur Hieronymus in Chron. tametsi verba transposita sint. Illa enim verba:

«Quo in exilium truso, omnes Clerici juraverunt etc.» quae ponuntur anno 351, poni debent post illa verba: «Liberius Episcopus Romanorum, in exilium mittitur.» quae ponuntur anno 361.

Deinde opera Arianorum, ac praesertim Acacii Caesariensis Episcopi, Felix Diaconus Romanus Episcopus creatur in locum Liberii, qui propter hoc beneficium libere cum eis communicabat, licet ipse Arianus non esset. Sic enim scribit Rufinus lib. X hist. c. 22: «In ejus (Liberii) locum Felix Diaconus suus ab haereticis subrogatur, et non tam sectae diversitate, quam communionis et ordinationis convenientia maculatur.» Et Theodoretus l. II hist. c. 17: «Successum, inquit, est Liberio a fidei quodam filium Diacono, nomine Felice, qui tametsi idem in Concilio Nicæno expositam ipse servavit integram; tamen cum illis, qui eandem labefactare studebant, libere communicavit. Ac propterea nemo ex Romae habitatoribus in Ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit.»

Idem quoque scribit Sozomenus lib. IV hist. cap. 10. nec ab his dissentit Hieronymus in Catal. Script. in Acacio; nam vox illa *Arianum* addita ad nomen Felicis, videtur irrepisse aliunde. Siquidem codices antiqui manuscripti illam non habent, ut notavit Marianus Victorius in hunc locum: nec translatio Sophronii in Graecum illam habet. Et, quod ego maximi facio, Freculphus lib. IV, cap. 8. et Ado Viennensis in Chron. referentes ad verbum totum hunc locum Hieronymi, non habent vocem *Arianum*.

Denique, non est ullo modo credibile, Hieronymum et Rufinum in historia utriusque notissima tantopere discrepare potuisse, ut unus neget, quod alter affirmat. Sed quamvis etiam Felix Arianus fuisset (quod haec tamen probatum non est) nihil id Sedi Apostolicae obesset. Constat enim, eo tempore Felicem schismaticum Papam, non verum et legitimum Pontificem fuisse: duo siquidem simul esse non possunt; arguebat autem tunc, et verus Pontifex erat Liberius. Quocirca (ut ex Theodoro supra recitavimus) nemo Catholicorum Romae cum Felice eo tempore communicare volebat.

Post biennium deinde successit lapsus Liberii, de quo supra diximus; tunc vero Romanus Clerus, abrogata Liberio Pontificia dignitate, ad Felicem se contulit, quem Ca-

tholicum esse sciebat; et ex eo tempore coepit Felix verus Pontifex esse. Tametsi enim Liberius haereticus non erat, tamen habebatur, propter pacem cum Ariano factam, haereticus; et ex ea praesumptione merito potuit ei Pontificatus abrogari: non enim homines tenentur, aut possunt corda scrutari; sed quem externis operibus haereticum esse vident, simpliciter haereticum iudicant, ac ut haereticum damnant. Indicat hoc Hieronymus in Chron. cum ait, permultos ex Romano Clero pejerasse, et ad Felicem accessisse. Dicuntur enim pejerasse, quia iuramentum non servarunt, quod susceperant de non recipiendo alio Pontifice.

Porro, Felix jam verus Papa, animadvertens periculum Ecclesiae et Fidei, Deo sine dubio inspirante, qui Ecclesiam suam non deserit, non solum recessit a communicatione Arianorum, sed etiam coacto Concilio, declaravit Imperatorem Constantium et Episcopos Ursacium ac Valentem, cum quibus Liberius pacem fecerat, vere esse haereticos. Et propterea, redeunte Liberio in urbem, Felix cum suis ab Ariano eiectus est, et non diu post mortuus, sive capite caesus, sive confectus ærumnis fuerit: id enim non certo constat.

Hæc vero ita se habere, id est, Felicem post lapsum Liberii verum Pontificem fuisse, et pro Catholica Fide mortuum esse, his argumentis probatur. Primum id aperte testatur Damasus, vel quicumque est auctor Pontificalis, in vita Felicis. Idem significare videtur S. Hieronymus in Chron. cum ait de Romanis Clericis: «Post annum cum Felice eiecti sunt, quia Liberius tædio victus exilii, et in haereticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intraverat.» Hæc enim verba persecutionem significant contra Felicem motam, et ab iis motam, qui Arianos favebant; ex quo sequitur, ipsum Felicem pro Fide Catholica passum esse persecutionem.

Secundo, omnia Martyrologia antiqua, tam excusa, ut Bedæ, Adonis, Usuardi, quam etiam manuscripta, 4. Kalen. Argvstus ponunt memoriam S. Felicis II, Papæ et Martyris, qui Constantium haereticum declaravit. Adde, quod S. Gregorius I, tam in Antiphona, quam in Sacrament. ponit integrum officium Ecclesiasticum legendum ad Missam in die S. Felicis Pontificis et Martyris 4. Kal. Argvsti: esse autem eum Felicem Romanum Pontificem, et proinde

eum, de quo loquimur, testatur Micrologus lib. Ecclesiast. Observat. cap. 43. cum igitur Ecclesia Catholica a mille jam annis hunc Felicem colat ut Papam et Martyrem, non debet is excludi a numero Pontificum, etiamsi nullam aliam rationem proferre possemus.

Tertio, Felix Papa, S. Gregorii atavus, ab antiquissimis Scriptoribus dicitur Felix Papa IV, ut a Joanne Diacono, lib. I de vita B. Gregor. c. 1. et a Leone Ostiensis lib. I Chron. Cassinen. cap. 1. At IV ille esse non potuit, nisi iste noster fuerit II, non enim sunt nisi duo Felices, præter hunc nostrum, ante Felicem IV, igitur ante mille annos hic Felix in numero Pontificum habitus est: nec enim schismatici numerum faciunt.

Quarto, cum Romæ ambigeretur, anno 4582, deberet hic S. Felix in novo Martyrologio collocari casu inventa fuit arca marmorea in Basilica SS. Cosmæ et Damiani, cum hac inscriptione in marmore incisa antiquis characteribus: HIC JACET CORPUS S. FELICIS PAPA. ET MARTYRIS, QUI CONSTANTIUM HAERETICUM DAMNAVIT. Et incidit hæc inventio in diem 28 Julii, hoc est, pridie ejus diei, quo celebrari solebat memoria hujus ipsius Felicis: quod non immerito divinitus contigisse creditum est.

Jam vero mortuo sancto Felice, Liberius iterum sibi conciliavit Romanum Clerum, et Catholicum Presulem se præstitit, ut supra ostendimus ex Soerate in causa Macedonianorum: quocirca omnium consensu iterum legitime sedere cepit, ac sedit usque ad mortem. Atque hæc est causa, cur in Catalogo Pontificum aliqui Veterum non posuerunt Felicem, ut Augustinus in epist. 163. et Optatus lib. II, quia videlicet, totum Felicis tempus in Pontificatu Liberii inclusum fuit.

Decimustertius est quidam Leo Papa, quem nonnulli dicunt huic Felici II successisse, et Arianum plane fuisse, ac eodem mortis genere obiisse, quo Arius perit, nimirum, effusione omnium intestinorum, dum alvum purgaret. Refert hoc Vincentius lib. XIV, cap. 23. Spec. list. et Conradus Halberstatensis in Chron. Magdeburgenses Cent. IV, cap. 10. in vita Felicis II, non putant hoc improbabile.

Et sine dubio iste Leo fictus Pontifex fuit: constat enim Leonem I esse illum qui sedit tempore Concilii Chalcedonensis, hoc est, annis circiter centum post tempora Felicis II,

deinde Scriptores omnes veteres, ut Hieronymus, Augustinus, Optatus, Theodoretus, Rufinus; necnon recentiores, ut Sigebertus, Martinus Polonus, Platina, et quotquot sunt alieujus nominis, Liberio et Felice defunctis, Damasum substituant.

Fortè orta est hæc fabula ex opinione concepta de Liberii hæresi, et persecutione in Catholicos, expulso Felice II; quia enim Liberius expulso Felice, instar Leonis savire cœpit in Catholicos, ut ipsi falso existimant; Inxerunt homines otiosi, quemdam Leonem Pontificem Arianum sedisse post Felicem II. Sed hæc inter fabulas numeranda sunt.

CAPUT X.

De Siricio, Innocentio, et aliis septem Pontificibus.

Decimusquartus est Siricius, quem Joannes Calvinus accusat lib. IV Inst. cap. 12. §. 24. quod in epist. ad Hispan. conjugium pollutionem vocaverit. Sed Calvinus more suo impudenter mentitur. Non enim Siricius conjugium verum, et legitimum pollutionem appellat, sed illicitam conjunctionem eorum, qui post peractam publicam penitentiam, iterum redeunt ad eandem conjunctionem, propter quam penitentiam egerant; nemo autem penitentiam unquam egit, quod inierit legitimum matrimonium.

Decimusquintus est Innoc. I, quem Magdeburgenses Centur. V, cap. 10. in vita ipsius Innocentii, dicunt, graviter errasse, quod in epist. 2, cap. 12. præceperit, sacram virginem jam velatam, quæ nupsit, aut fornicata sit, non recipi ad penitentiam, donec vivit ille cum quo ipsa peccavit. Videtur enim iniquum, mulierem penitentem non debere absolvi, nisi prius moriatur qui eam seduxit. Item, quod in epist. 18. ad Alexan. Antioch. scripserit, ratum quidem esse Arianorum Baptismum, sed non conferri per eos Spiritum sanctum; quia se ab Ecclesia separaverunt. Ubi videtur velle, efficaciam sacri Baptismi pendere a bonitate ministri; quod est contra Ecclesie communem doctrinam. Item, quod in epist. 22, cap. 1. docuerit, Sacerdotem non posse esse eum, qui viduam in uxorem acceperit, cum Moses in

Levitico præcipiat, ut Sacerdos virginem uxorem accipiat, quasi Christiani teneantur adhuc legibus judicialibus Testamenti veteris.

Respondeo ad primum: Innocentium velle dicere, non debere recipi ad penitentiam eas virgines, quæ nolunt separari ab adultero, nisi post mortem ejus; et hoc iustissimum est: neque enim debent ab Ecclesia absolvi ii, qui in peccato perseverare volunt.

Ad secundum dico: Innocentium loqui eo loco de iis, qui baptizantur, vel ordinantur ab hæreticis, cum sint ipsi etiam polluti eadem hæresi. Ejusmodi enim vere recipiunt Sacramentum Baptismi, vel Ordinationis: sed non recipiunt Spiritus sancti gratiam, quæ in hæreticis esse non potest. Et in Ordinatione non modo gratiam non recipiunt ab hæreticis ordinati, sed nec jus legitime Ordines exercendi: id enim jus per hæresim Ordinator perdidit; nec tribuere potuit, quod ipse non habuit. Vide Glossam 1. q. 1. can. Arianos.

Ad tertium dico: Innocentium non velle dicere, teneri nos legibus Judaicis, sed velle argumentari a simili, vel potius a majori, hoc modo. Tenebantur Sacerdotes in Testamento veteri ex divino præcepto, non ducere uxorem viduam; ergo multo magis convenit, ut in Sacerdotibus novæ legis Ecclesia requiratur, ne viduarum fuerint mariti, propter excellentiam nimirum Sacerdotii Christiani.

Decimussextus est Celestinus, quem Nestorii hæresi infectum fuisse affirmat Laurentius Valla, in declamatione de falsa donatione Constantini. Sed Laurentius aperte mentitur; siquidem Celestinus non modo non fuit unquam de hac hæresi notatus, sed ipse est, qui præcipue illam hæresim condemnavit, ut patet ex Prospero in Chron. anni 431, et ex toto Concilio Ephes. Deceptus est Valla æquivocatione nominis. Fuit enim Celestinus hæreticus Pelagianus, qui quædam communia cum Nestorianis habuit.

Decimusseptimus est Leo I, qui, in epist. 79. ad Nicetum dicit, eas mulieres, quæ putantes maritos suos esse defunctos, aut nunquam redituos ex captivitate, nupserrunt aliis, non peccasse; tamen si mariti earum redeant, teneri eas ad primum conjugium renovandum: si autem eas non velint, non teneri. Ubi duo videntur errores. Unus, quod

mulier non peccet, si nubat alteri viro, quando existimat primum maritum vivere, sed nunquam redituro: alter, quod mulier possit manere cum secundo marito, si primum eam nolit. Notarunt hunc errorem Magdeburgenses Centur. V, cap. 10. in vita Leonis I.

Respondeo: in neutro Leonem errasse. Nam cum dicit, non peccare mulierem quæ nubit, vivente adhuc priore viro; loquitur de illa tantum, quæ nubit, quia putat, primum maritum esse mortuum, ut ipse ibidem diserte explicat; de illa autem, quæ nubit, quia putat, maritum suum nunquam redituro; non dicit peccare, neque non peccare; quia existimabat rem per se esse notam, nimirum, eam peccare. Quando autem dicit, debere mulierem redire ad primum virum, si ipse eam velit; consequenter vult intelligi, debere virum redire ad mulierem, si ipsa eum velit, etiamsi aliqui eam ille noluisset. Sunt enim pares in hac re vir et mulier. Itaque si alter conjugum velit redire ad conjugium, tenetur alter necessario parere, si autem neuter velit redire, poterunt separati manere quoad usum conjugii. Et hoc solum permittit S. Leo. Neque hinc sequitur, posse mulierem manere cum secundo marito: nam idem Leo ibidem clarissime dicit, primum matrimonium esse indissolubile, et necessario reformandum, posteriore soluto, quod verum esse non poterat.

Decimusoctavus est Gelasius, cujus duas sententias secundum Catholicos erroneas notarunt Centuriatores Centur. V, cap. 4. de Cena Domini et cap. 10. in vita Gelasii. Una est in lib. cont. Eutych. cum carne Christi manere in Sacramento verum panem: altera, apud Gratianum de consecrat. d. 2. can. Comperimus; non posse sine ingenti sacrilegio sumi unam partem Sacramenti Eucharistie sine altera. Aut enim Gelasius erravit in his duobus, aut nos erramus, qui contra-rium sentimus, et sequimur.

Respondeo ad primum: librum illum non esse Gelasii Papæ, sed esse Gennadii, qui librum ejusdem tituli scripsit ad Gelasium Papam; vel Gelasii Casariensis Episcopi, cujus meminit Hieronymus circa fin. Catal. Script. Ecclesiast. Siquidem Papa Gelasius scripsit quinque libros contra Eutychen, ut Trithemius refert: hic autem unus tantum est exiguus libellus. Deinde hic auctor pollicetur, se fere omnium Veterum sententias collecturum de Incarnatione Domini, et cum

adducat 15 Patres Græcos, duos tantum Latinos profert Ambrosium et Damasum, et omittit Cyprianum, Hilarium, Hieronymum, Augustinum, Innocentium, Leonem, Prospere, et similes, quos nunquam Gelasius Pontifex omisisset, imo nec alius Latinus auctor: videtur enim hinc manifeste colligi, hunc auctorem Græcum fuisse, non Latinum; sed quicumque fuerit, ejus sententiam sanam habere intellectum ostensum est a nobis lib. II de Eucharistie Sacramento, cap. 27. Ad secundum dico: Gelasium in eo canone loqui solum de Sacerdote sacrificante, qui non potest sine sacrilegio unam tantum speciem sumere, quia imperfectum sacrificium redderet.

Decimusnonus est Anastasius II, qui trium errorum accusatur. Primo, quod sine Concilio Episcoporum, presbyterorum, et Clericorum totius Ecclesie, communicaverit Photino, qui communicaverat cum Acacio hæretico. Secundo, quod voluerit occulte revocare Acacium, quem damnaverat Felix et Gelasius Papæ. Tertio, quod approbaverit Baptismata, et Ordines collatos ab eodem Acacio, propter quos errores et peccata dicitur idem Anastasius divinitus, morbo immisso, repente extinctus. Hæc scribit auctor Pontificalis in vita hujus Anastasii, et cum secutus Tilmannus Heshusius lib. I de Eccl. cap. 9. imo et Gratianus dist. 19. can. Anastasius, et Magdeburgens. Cent. VI, cap. 10. in vita Anastasii.

Respondeo: falsissimum esse, quod Acacium Anastasius revocare voluerit. Constantinus enim ex Evagr. lib. III, cap. 23. et ex Nicephoro lib. XV et XVII, et ex Liberato cap. 19. Acacium obiisse tempore Felicii Papæ, a quo tertius fuit Anastasius. Quomodo ergo Anastasius eum jamdudum defunctum in suam sedem revocare voluit? Sed dicunt quidam, saltem voluisse revocare ejus nomen.

At contra exstat epistola Anastasii hujus Papæ ad Anastasium Imperatorem, in qua petit, ut Imperator jubeat, nomen Acacii taceri in Ecclesia, quandoquidem iustissime a Felice Papa prædecessore suo fuerit condemnatus. Quod vero Gratianus dist. 19. can. Ita Dominus, dicit, errasse in hac epistola Anastasium, quia voluit esse rata Sacramenta Baptismi, et Ordinis, quæ Acacius contulerat, id non Anastasium hæreticum, sed Gratianum imperitum ostendit. Quis enim ignorat Catholicorum, baptizatos ab

hereticis, vere esse baptizatos, et similiter ordinatos, vere esse ordinatos, quando Ordinatio hereticis vere Episcopus fuerat, et adhuc erat, saltem quantum ad characterem?

Illud vero de Photino forte est mendacium, sicut de revocatione Acacii : sed verum sit ; num propterea non erit Catholicus Anastasius? An non licet summo Pontifici sine Concilio omnium Episcoporum, presbyterorum, et Clericorum totius Ecclesiae, absolvere unum excommunicatum? Quod addunt, Anastasium Papam morte repentina a Deo immissa defunctum, videtur ortum ex eo, quod constat, Anastasium hereticum Imperatorem illo ipso tempore fulmine ictum perisse, ut scribit Beda, Cedrenus, et Zonaras, et Paulus Diaconus in ejus vita, alioqui fabulam esse non dubium est.

Vigesimus est Vigilus, quem Liberatus in Breviar. cap. 22. refert, epistolam scripsisse ad Theodoram Imperatricem et alios hereticos, qua confirmabat haeresim ipsorum, et anathema dicebat iis, qui confitentur duas in Christo naturas.

Respondeo: multi existimant, hunc locum Liberati esse corruptum ab hereticis, eo quod in Pontificali contrarium videatur narrari. At cum vestigium nullum appareat corruptionis in lib. Liberati, et revera non pugnet narratio Liberati cum narratione Pontificalis, aliter respondendum est. Dico igitur: Vigilum scripsisse illam epistolam, et damnasse Catholicam Fidem, saltem exteriori confessione ; sed hoc nihil obesse nostrae causae. Nam id fecit, cum adhuc viveret Sylvester Papa, quo tempore Vigilus ipse Papa non erat, sed Pseudopapa : neque enim duo simul veri Pontifices summi esse possunt ; et constabat tunc omnibus, Sylvester verum Pontificem esse, licet in exilio degeret.

Sciendum est enim, Anthemium hereticum depositum fuisse ab Agapeto Romano Pontifice de Episcopatu Constantinopolitano : deinde Imperatricem petivisse a Sylvio Agapeti successore, ut Anthemium restitueret, quo recusante, Vigilum tunc Archidiaconum promississe Imperatrici, se Anthemium revocaturum, si posset Romanus Pontifex fieri : continuo autem, jussu Imperatricis, opera Belisarii, fuisse S. Sylvester expulsus de sua sede in exilium, et Vigilum creatum Papam, seu potius Antipapam: quo tempore non esset mirum, si errare in

Fide, et etiam hereticus plane esse potuisset. Quamquam ne tunc quidem definit aliquid contra Fidem tanquam Pontifex, neque animo hereticus fuit : siquidem epistolam scripsit nefariam quidem, et Christiano homine indignam ; tamen in ea Catholicam Fidem non damnavit palam, neque heretico animo, sed occulte, propter cupiditatem praesidendi, ut Liberatus ibidem dicit, et ex epistola ipsa Vigilii apparet. Scribit enim ut caveant, ne epistolam illam ullus videat, et ut sint omnia occulta usque ad tempus: erat enim Vigilus tunc in angustiis summis, in quas eum ambitio sua conjecerat. Nam si palam se hereticum profiteretur, metuebat Romanos, qui hereticum sedere in Petri Cathedra nunquam passuri videbantur : si e contrario Catholicum se profiteretur, metuebat Imperatricem hereticam, cujus opera Pontificatum adeptus fuerat ; itaque rationem illam excogitavit, ut Romae Catholicum ageret, et interim per litteras apud Imperatricem hereticum simularet.

Contigit autem paulo post, ut Sylvester moreretur ; et Vigilus, qui eo usque in schismate sederat, inciperet jam solus et legitimus Pontifex esse, nimirum, confirmante et accipiente eum Clero et populo Romano. Ab hoc vero tempore nullus inventus est in Vigilio aut error, aut erroris simulatio ; sed summa constantia in Fide usque ad mortem, ut appareat, cum ipso Pontificatu firmitatem Fidei eum accepisse, et de levi palea in solidissimam petram commutatam fuisse. Nam cum Imperatrix Theodora haeretica freta oculis litteris, et promissione Vigilii, peteret ab eo, ut Anthemium Patriarcham praedictum, sicut promiserat, restitueret ; ille rescripsit, se temere promississe, graviterque ea promissione peccasse, et ideo non posse, nec velle implere quae promiserat, ne peccata peccatis adderet. Quocirca ab irata Imperatrice in exilium missus fuit, et misere vexatus usque ad mortem. Id quod non solum scribitur in Pontificali, sed etiam annotarunt Paulus Diaconus in vita Justiniani, et Aimonius lib. II, cap. 32. de gest. Francor. et ipsi etiam Magdeburgenses Cent. VI, cap. 40. in vita Vigilii, et idem etiam indicat brevissime Liberatus, in fine cap. 22. ubi dicit: Vigilum ab illa ipsa haeresi, quam initio occulte foverat, misere afflictum postea fuisse.

Denique Vigilum, post mortem Sylvester, verum et sanctum Pontificem fuisse ; testan-

tur omnes illi, qui illo ipso tempore viventes scripserunt aliquid de Vigilio. Gregorius I lib. II, epist. 36. ad Episc. Hybern. : « Recordandae, inquit, memoriae Vigilii Papa in urbe regia constitutus, contra Theodoram tunc Augustam, vel Acephalos, damnationis promulgavit sententiam. » Cassiodorus lib. de div. lect. cap. 1. : « Origenem, inquit, praesenti tempore a Vigilio Papa viro beatissimo constat esse damnatum. » Arator praefat. Act. Apost. qua ipse carmine scripsit, et Vigilio Papae dedicavit, sic incipit : « Domino sancto beatissimo Apostolico, et in toto orbe primo omnium Sacerdotum Papae Vigilio. » Denique constat ex Evagrio lib. IV, cap. 37. a Vigilio confirmatam fuisse V Synodum generalem, in qua damnata est haeresis illa, quam Theodora fovebat, et de qua ipse Vigilus ab adversariis accusatur.

Posset etiam dici : epistolam illam Vigilii, cujus meminit Liberatus, fuisse confictam ab hereticis : Liberatum autem credidisse falso rumor, quem heretici sparserant. Nam quod heretici confinxerint epistolam quandam Vigilii Papae nomine ad Theodoram et Justinianum, deprehensum fuit certis indicibus in VI Synodo, act. 14. sed quidquid de hoc sit ; satis nobis est, eum nulla in re errasse, quo tempore verus Pontifex fuit.

Vigesimus primus est S. Gregorius I qui a Durando in IV, dist. 7. q. 4. accusatur erroris, quod in epistol. 26, lib. III ad Joan. Episc. Caralitan. permisit presbyteris conferre Confirmationis Sacramentum, quod jure divino solis Episcopis convenit. Propter quem locum Gregorii Adrianus in quaest. de Confirmat. art. ult. asserit, Pontificem posse errare in definiendis dogmatibus Fidei.

Respondeo primo : non B. Gregorium, sed Durandum potius et Adrianum errasse. Siquidem Concilium Florentinum in instruct. Armen. et Tridentinum sess. VII. can. ult. docent, Confirmationis ordinarij ministerium esse Episcopum : ex quo sequitur, posse extraordinarie, etiam non Episcopum esse ministrum ejus Sacramenti. Deinde, Gregorius non decretum aliquod de hac re edidit, sed solum concessit quibusdam presbyteris, ut absentibus Episcopis confirmarent ; proinde, si in hac re Gregorius errasset, non doctrinae, sed exempli seu facti error fuisset. Est etiam alius quidam error, qui S. Gregorio attribuitur, sed falso,

de quo dicemus infra, cum agemus de Gregorio III.

Vigesimus secundus est Bonifacius V, quem graviter reprehendunt Magdeburgenses Cent. VII, cap. 40. quod ipse in epist. ad Edwinum Regem Angl. quam refert Beda lib. II hist. Angl. cap. 10. docuerit, Christum a solo originali peccato nos redemisse.

Respondeo : Centuriatores de suo addidisse illam vocem *Solo*. Bonifacius enim sic ait : « Accedite ergo ad agnitionem ejus, qui vos creavit, qui in vobis vitae insufflavit spiritum, qui pro vestra redemptione filium suum unigenitum misit, et vos ab originali peccato eriperet. » Haec ille. Ubi, quod non meminerit aliorum peccatorum causa fuit, quia peccatum originale est principale, et propter quod delendum principaliter Christus mortuus est. Unde Joan. I. legimus : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Graece, *ὁ ἀγνός τοῦ κόσμου*, id est, *peccatum illud Mundi*, hoc est, peccatum originale, quod solum est commune toti Mundo : nam plerumque nullum aliud habent, ut omnes pueri.

CAPUT XI.

De Honorio I.

Vigesimustertius est Honorio I. quem hereticum Monothelitam fuisse contendit Nilus in lib. de Prim. Rom. Pontif. Idem asserunt Magdeburgenses Cent. VII. cap. 10. in vita ipsius, et cap. 11, column. 553. inter manifestos hereticos eum ponunt. Nec solo heretici, sed etiam nonnulli ex Catholicis Honorium hereticum fuisse contendunt, ut Melchior Canus lib. VI, de loc. cap. ult. Argumenta ipsorum haec sunt. Primum, ex epistolis ipsius Honorii : existant enim duae epistolae Honorii ad Sergium ; una in VI Synodo, actor. 12. altera ibidem actor. 13. in utraque autem Honorius approbat doctrinam Sergii Principis Monothelitarum, et jubet non debere dici, Christum duas habere voluntates aut operationes.

Secundum, ex VI Synodo, act. 13. ubi damnatur Honorius tanquam hereticus, et comburuntur ejus epistolae, et in sequentibus actionibus omnibus repetitur ejus damnatio.